


Nicolaus Schütze Friedrich Nessen von

Disputatio Iuridica De Usucapionibus & Praescriptionibus

Rostochi[i]: Kilius, 1637


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn731657799>

Druck Freier  Zugang



Nützlich und Übersetzungen

von Schütz (v. Nessen) Part. 1c
Pr. U. int. 1637



39

ANNUENTE JOVA!
Disputatio Juridica
DE
USUCAPIONIBUS
& PRÆSCRIPTIONIBUS

QVAM

Consensu Amplissimæ Facultatis Juridicæ
in Academiâ Rostochiense.

PRÆSIDE


Viro Clarissimo & Consultissimo

DN. NICOLAO SCHÜTTEN J. U. D.
& Professore Publico, Præceptore & Fauto-
re observando

Publicè proponit

FRIDERICUS von NEESEN.

Habebitur ad diem 18. Novemb. in Auditorio ma-
jori horis matutinis.



ROSTOCHJ,

Literni NICOLAI KILII, Acad. Typograph.

ANNO MDCXXXII.

1634

ANNUENTE IOVA!
Dilectio Juridica
IN OMNIBUS FACULTATIBUS
USUCAPIONIBUS
DE PERSCRIPTIONIBUS
Quam
Censura Amplissima Facultatis Juridicae
in Academia Rostochensi
PRAESIDE
Petro Christophoro
Bibliothek
Ungaricus
J. U. D.
FEDERICOUS
KATHEGON
ROSTOCK
ANNO MDC XXXIII

Bibliothek
Ungaricus



IN NOMINE SACROSANCTÆ TRINITATIS.



Quod Cicero de ll. ait. Salus populi suprema lex esto: si in ullâ juris materiâ, certè in Usucapionum conspici potest. Hic enim quantus salutis publicæ favor sit, ex eo patescit, quod vero domino, quem ne summus quidem princeps jure suo defraudare potest, *argnt. S. fin. Inst. d. his qui sunt sui vel alien. Jur.* ob desidiâ crepta bona alteri non domino attribuuntur; idq; ob reip. bonum, quod ne dominia rerum diu & ferè semper in incerto sint præcipuè requirit *l. 1. ff. h. t.* Neq; verò exinde, quam in Usucapionum materiâ latitare perpè quidam clamitant, injustitia demonstrari potest. Tantum enim abest, ut injuriâ dominus afficiatur, ut summam potius exinde relucere æquitatem, ac veluti negligentia castigatricem etiam in foro poli posse defendi dicamus. Quis enim rem alienare volenti injuriam fieri diceret? At quis eum, qui alienationem fieri patitur, eamq; silentio q. approbat *l. 28. d. V. S.* dissentire affirmaret? Hanc ergo per multas Juris Civilis materias diffusam, ac in foro maximè practicabilem materiam Jovæ ductu breviter tractaturi, à definitione exordiemur.

I.

Est igitur Usucapio (a) adjectio (b) dominij (c) per continuationem (d) possessionis (e) temporis lege definiti (f)

(a) Dicta ab Usu & capere *l. 13. ff. h. t.* quia per usum, seu, quod perinde est, possessionem *l. 115. d. V. S.* continuam nobis dominium acquirimus. (b) rectè *Wesembec. in pr. Inst. h. t.* adjectio, non adeptio le-

A 2

gendum

gendum censet, cum per Usucapionem dominium possessori ex auctoritate legis adiciatur. Non enim statim ab initio adipiscimur, sed acquisita jamdudum possessioni vacua post legitimum tempus dominium accedit & accrescit. (e) dominium per usucapionem acquirimus plene & absolutum *l. 20. C. de pact. l. 3. ff. h. t. l. 10. §. 2. de acquir. rer. domin. Wesemb. in pr. Instit.* & tale quidem, cuius nomine usucapiens rei vindicationem directam intentare possit *l. 23. in princ. ff. d. rei vindic. Boey. p. 2. d. 22.* (d) Continuum possessionem esse oportet, *l. 3. l. 31. §. 1. ff. h. t.* quod si enim usus interrumpatur, cessat usucapio *l. 2. l. 5. l. 15. eod.* (e) sine possessione enim non procedit usucapio *l. 25. ff. h. t.* Requiritur autem talis possessio, quæ habeatur animo dominij vel pro suo, siue animo & corpore simul, siue animo tantum *l. 1. §. 8. l. 3. §. 8. §. 12. l. 9. l. 25. §. 1. ff. de acquir. possess. l. 13. l. 16. h. t. l. 2. ff. pro hered. l. 1. C. Commun. d. usucap. l. si puerum C. in quib. caus. cess. long. temp. prescript.* Hinc usufructuarius, emphyteuta, colonus aut qui precario possidet, non usucapiunt *l. 10. §. ult. d. acquir. rer. domin. l. 2. l. cum notissimi §. ult. C. d. prescrip. 30. vel 40. annor.* ut nec creditor rem oppignoratam, *l. 13. in pr. l. 44. §. non mutat ff. h. t.* (f) puta in rebus mobilibus triennij, immobilibus decennij vel vicennij *Instit. in pr. h. t.*

II.

Generis loco dum ponitur adjectio, causa demonstratur efficiens, quæ est lex Civilis.

Cum enim rem persape à non domino, nec ejus transferendi jus habente, bona fide accipienti tradi, traditione autem hac dominium Jure Gentium non acquiri, lex videret, cum nemo plus juris in alium, quam ipse habet, transferre possit *l. 54. d. R. I.* Iniquum censens bonâ fide accipientem decipi, idq; cum rei detrimento, constituit, ut qui bonâ fide rem ab eo, quem dominum esse putabat, acciperet, dominus efficeretur, non protinus equidem sed post legitimi temporis decursum. Ergo quod jure Gentium fieri non poterat, ut dominium hoc modo transferretur, Jure Civili effectum est, atq; ita Civilis æquitas naturalem sublevavit, quo facilius universi juris finem, qui Salus est populi, attingere posset. *Vult. l. R. 671.*

III. Usu.

III.

Ufucapere possunt omnes, qui possidere possunt.
(a) Hinc paterfamilias & filiusf. (b) pupillus (c) &
infans (d) rectè Ufucapere dicuntur, non item servi
(e) nec furiosi (f)

Methodo posthac ab Imp. tradita in *l. 4. ff. h. t. in pr. incedemus*, & prius quidem de personis videbimus (a) Sinè possessione enim ufucapio contingere non potest *l. 25. ff. h. t. c. sine d. R. I. in 6.* nec plus intelligitur regulariter præscriptum quam possessum. Communiter DD. *hic argument. c. cum olim d. præscr.* (b) Etsi in Patriâ constitutus potest filius possidere ex causâ peculij profectitij non potest *l. 93. d. R. I. cum omnia patri suo acquirat, §. 1. Inst. per quas pers. nob. acquir.* Tamen extra ejus respectum, Militibus potissimum singulari favore ut alia multa, sic hoc quoq; indultum est privilegium, ut quæ in castris acquisiverunt, ufucapere queant *l. 4. §. 1. h. t.* Idem & de q. castrensi peculio dicendum est; cum non minor creditorum quam militum favor sit, *argument. l. advocati C. d. advoc. divers. judic.* (c) Pupillus tutore auctore ut omne negotium rectè gerit, *l. 5. in fin. d. R. I. §. 9. Inst. d. inutilib. stipulat.* Sic & possidere potest *l. 4. §. 2. ff. h. t. l. 32. d. acquir. possess.* Quod si absq; tutoris auctoritate possideat, modo possidendi animum habeat, rectè ufucapit *d. l. 4.* (d) Similiter & infans tutoris auctoritate, quâ judicium ejus suppletur, ritè possidet *d. l. 32. §. 2. d. acq. possess.* (e) Cum ipsi possideantur, aliquid possidere aut suum habere non possunt, *§. 3. Inst. per quas pers. nob. acquir.* Dominus verò etiam ignorans, quæ servus peculiariter nactus est, ufucapit *l. 8. h. t. l. 1. §. 5. d. acquir. possess.* Ut & infans *l. ead.* (f) Cujus antefurorem possessionem nactus est, rem ufucapere potest *l. 4. §. 3. h. t.* Similiter quod servus ex peculiari causa possidet *l. 1. §. 5. d. acquir. possess.* At possessionem novam inchoare non potest. *argument. l. 5. d. R. I.*

IV.

Ut autem Ufucapio ritè procedat, quinque requiruntur: Bona fides, justus titulus, possessio continua, res vitio carens, & tempus legitimum (a)

(a) *tot. tit. Inst. §. ff. d. Ufucap.*

A 3

V. Bonâ

Bonà fide (a) possessor gaudeat, nì frustraneam suam velit esse possessionem, quæ si ab initio adsit (b) non vitiatuf usucapio, licet mala fides superveniat.

(c)

(a) Pr §. 1. 2. Inst. & l. 10. ff. h. t. Estq; bona fides alienæ rei ignorantia l. 32. §. 1. h. t. l. 3. in pr. ad l. Fabi. d. plagiar. Qui igitur, eum à quo rem accepit, dominum fuisse, in pr. Inst. hic. aut alienandi jus habuisse l. 109. d. V. S. aut sese usucapere posse credit. l. si sur 32. §. 1. h. t. bonà fide possidet. Fur ergo aut qui vi rem alienam detinet, cum rem sciat alterius, usucapere non potest §. 2. Inst. h. t. Præsumitur autem semper bona fides in usucapiente, nisi contrarium probetur vel ex denuntiatione l. 17. C. d. rei vindic. vel inter dicto legis alienationem prohibentis l. 7. C. d. agric. & censit. l. 12. l. 24. ff. h. t. licet possessor id ignorarit. Ignorantia enim juris non inducit bonam fidem l. 2. §. 15. ff. pro empr. Coeterum cum dicente Imp. in §. 3. Inst. h. t. usucapio in rebus mobilibus non facilè procedat, non immeritò inter DD. Juris controversatur, an heres in hæreditate inventam rem, quam suam esse putat, usucapere queat? Affirmantibus calculum addimus. Cum etenim requisita usucapionis hic adsint omnia, cur huic usucapiendi jus denegetur, haud videmus, l. penult. & ult. ff. pro hered. (b) In emptione & contractus & traditionis tempore bona fides emptori adsit necesse est. l. 10. in pr. ff. d. usucap. l. 7. §. ult. d. public. in rem actio: Hic si ab initio possessionis se rem à vero Domino habere, usucapiens censeat, quamvis postea contrarium resciscat, usucapio procedit l. unic. vers. hoc tantummodo C. d. usucap. transform: l. 43. ff. h. t. Si defunctus in malà, heres in bonà fide fuerit, usucapio stare non potest, mala namq; fides defuncti, heredi obest, quantumvis scientiam rei alienæ ipse non habeat, nec ratio obtinendæ sed origo nanciscendæ possessionis exquirenda est. l. clam possidere 6. ff. d. acquir. rer. domin. & licet ipse in personà suà legitimùm absolvat tempus, propter inijt tamen defectum in personà defuncti, nihil agit. l. 8. C. d. usuf. Quid si defunctus rem bonà fide possidere coepit, sed ab eà deturbetur, heres vero rem alienam esse cognoscens possessionem vicissim nanciscatur? Nec hinc usucapio

cipio locum habebit; tum propter usucapionis interruptionem *l. 2. ff. h. t.* tum propter vitiosum secundæ possessionis initium *l. 17. §. 2. ff. eod.* (c) mala fides superveniens usucapionem non perdit *§. diutina Inst. h. t. l. unic. C. d. transform. usucap.* cum nemo possessionis causam sibi mutare possit *l. 19. ff. d. acquir. possess. l. 2. pro hered.* Sed hoc de Jure Civili tantum obtinet. Jus Canonicum autem nullo tempore possessorem alienæ rei scientiam habere permittit, nam bona fides defuncti in malâ fide existenti heredi haud prodest, cum tam in initio, quam medio & fine mala fides abesse debeat *c. vigilant. c. fin. d. præscr. c. possessor d. R. I. in 6.* Et hoc jus in materiâ hac utpote conscientis magis consulens attendi volunt DD.

VI.

Non autem sufficit dominum scientiam rei alienæ non habere, sed & sine vitio acquisitam rem esse oportet. Unde justa causa (a) & ad possessionis translationem habilis (b) requiritur, per quam legitimam legitimæ possessionis possit induci initium (c)

(a) *Instit. in pr. h. t. l. unic. ibi in omnibus justo titulo C. d. transform. usucap.* Nec enim non præcedente vero titulo usucapio vel procedere, vel prodesset tenenti potest. *l. ult. C. d. Usucap. pro hered. l. 4. C. d. præscr. long. tempo.* Sed ipso jure prohibetur *l. 24. C. d. rei vindicat.* Sunt autem justii tituli, emtio, venditio, donatio, legatum, dotis datio *l. 27. ff. h. t. noxæ deditio l. 3. §. genera d. acquir. possess. transactio l. 29. ff. h. t. judicatum l. 17. eod. l. n. d. acquir. poss: derelictum tot. tit. ff. pro derel. pro suo l. 2. C. r. t. ff. pro suo. Solutio l. 4. ff. d. public. in rem act.* Quod si possidens sibi donatam rem putet, cum verè non sit, atq; ita aberret, usucapere prohibetur. Datur verò in jure error triplex: Juris, cum rem, quæ potest, usucapi non posse puto, & hic usucapionem non parit *l. 31. C. 32. §. 1. ff. h. t.* Facti, cum à vero domino, & ejus transferendi jus habente rem me accepisse arbitror, & hic usucapienti non obest. *rh. Præced. Falsæ causæ, cum emisse me rem censeo, quam non emi, & hic usucapionem impedit §. error. Inst. h. t.* Quod si tamen error hic ex justâ causâ, p. ex facto alieno intervenerit, usucapionem

pionem non vitari constat. Si namq; forte servus vel procurator quam emere jussus erat, rem se emisse mihi pervaserit, usucapere non prohibeor *l. 11. ff. pro empt.* In alieni enim facti ignorantia tolerabilis est error. *l. ult. ff. pro suo.* Similiter & si ex falsa causa traditio fiat, quominus usucapio pro soluto procedat, error falsæ causæ non obstat. *l. 3. ff. pro suo.* (b) Hinc creditor pignoris, conductor, superficiarius & c. non usu capiunt. *l. 25. ff. d. acquir. possess.* (c) Initium enim possessionis vitiosum reliquum omne tempus vitiat, ut dictum est *th. preced.*

VII.

Cumq; tantoperè ad usucapionem necessariam dixerimus possessionem, continuam eam (a) & civilem volumus (b) non naturalem (c) talemq; quæ ab auctore rectâ in possessorem transeat (d)

(a) Continuum possessionis tempus esse oportet *S. diutina Inst. h. t. cum interpellata per usurpationem possessione usucapio impediatur l. 5. l. 15. in pr. l. 31. §. 1. l. 33. S. qui pignori ff. h. t. l. 32. d. serv. prædio. urban.* Continuatio verò, quæ ex præcedenti & extremâ possessionis probatione præsumitur *c. inter dilectos d. fid. instrum.* non in eadem solum personâ, sed & diversis spectatur *l. 13. §. 4. ff. d. acquir. possess.* puta in herede, bonorum possessore *S. diutina Inst. hic legatario l. 13. §. 10. ff. d. acquir. possess. l. 30 in pr. ff. quib. ex caus. maj. emptore S. inter emptorem. Inst. hic idq; solâ ex æquitate l. 14. in pr. d. divers. & tempo. præscr.* In usucapi captâ ergò re à defuncto heres usucapionem continuabit *l. 20. ff. h. t. licet ipse in malâ fide sit l. 2. §. 19. ff. pro empt.* (b) Civilem & naturalem simul volumus *l. 2. ff. pro hered.* aut Civilem duntaxat *l. 1. §. 14. ff. d. acquir. possessio.* (c) Neq; enim naturalis sola ad usucapionem sufficit *l. 1. C. Commu. d. usucap. l. si puerum C. in quib. caus. cess. lon. temp. præscr. l. 8. §. 1. C. d. præscr. 30. vel 40. annor. cum citra affectionem domini habendi animo constet Vult. I. R. c. 71.* (d) quod si nõ rectâ ab auctore in successorem transeat, sed mediâ prius interveniant personæ, præcedens auctoris tempus successori erit inutile *l. 13. §. qua situm est ff. d. acquir. possess. l. 20. ff. h. t. vacuum tamen tempus, quod ante hereditatis aditionem intercessit, ad implendam usucapionem*

nem

nem proderit heredi *l. 31. §. vacuum. l. 40. l. 44. §. 3. ff. h. t. l. 30. ff. quib.
ex caus. maj.* cum hereditas antequam adeatur, defuncti personam
sustineat *l. hereditas 34. ff. d. acquir. rer. domin. & hinc pro domino ha-
beatur l. 61. ff. eod.*

VIII.

Res verò corporalis (a) quæ usucapi debet, talis
fit necesse est, ut in commercio hominum (b) nec vi-
tio fœdata (c) nec alienari prohibita sit (d)

(a) Res etenim corporales ad usucapionem maximè idoneæ
sunt *l. 9. ff. h. t.* siue eæ mobiles sint, siue immobiles *l. unie. C. d. Usu-
cap. transf.* Incorporalis namq; res usucapi non potest *l. 10. §. 1. ff. d.
Usucap. l. 43. d. acquir. rer. domin. l. 14. in pr. d. servit.* Sed præscribi *Valr.
l. R. cap. 71.* (b) Si commercio hominum exempta sit res, possidenti
non cedit. Res igitur sacra, sancta & religiosa usucapi non potest
§. sed aliquando Inst. h. t. ut nec ea quæ publicis populi Romani aut
civitatis usibus est dicata *l. 9. ff. h. t.* Similiter & liber homo, cum in
commercio hominum non sit, usucapi non poterit *l. 6. C. d. ingen.*
(c) Quod si vitio res sit deturpata, usucapio nullo tempore procedet.
Vitium quippe adjacens rem afficit, eamq; perpetuo comitatur. Hinc
res furtivæ mobiles, vi possessæ immobiles usucapioni non subjacent
l. 2. & 3. Inst. h. t. nisi vitio purgato *§. aliquando Inst. eod.* Hic DD.
utrum ancillæ furtivæ partum quis usucapere queat disquirunt. Et
eorum placet sententia, qui, si ancilla furto ablata apud bonæ fidei
possessorem conceperit, & pepererit, partum posse usucapi statuunt.
Non verò, si vel prægnans surrepta sit, vel apud furem ejusve heredem
conceperit & partum ediderit. *l. 48. §. 1. ff. d. furt. l. 4. §. heres l. 10. §. 2.
l. 33. in pr. ff. h. t. l. 11. §. partus ff. d. public. in rem act.* (d) Si ab eo emas,
quem Prætor alienare prohibuit sciens, non usucapies *l. 12. ff. h. t.* In
pupilli ergo rebus absq; tutore alienatis, usucapio locum sibi non
vendicat *l. 48. in pr. d. acquir. rer. domin. l. 3. C. d. præscr. 30. vel 40.
annor. l. ult. C. d. usucap. pro empt.* ut nec in testamento alienari prohi-
bitis *l. ult. §. sin autem C. commun. d. legat. l. 2. C. d. usucap. pro empr.*
idq; propter summum ultimarum voluntatum favorem *l. 1. C. d. S. S.*

B

Eccles.

Eccles. Idem jus in rebus fisci §. *res fisci Inst. b. t.* & Principis observatur *tot. tit. C. ne rei domin. ubi vid. Cujac. in par.* Neq; etiam vir longo usu res dotales capere poterit *l. 4. ff. d. fund. dot.* Adventitium quoq; filiusfam. peculium, dum in patris sui est potestate, ab usucapione exemptum *l. 1. §. 2. C. d. annal. except.* Tandem usucapio inutiliter his objicitur, qui in integrum restituuntur *l. 1. 2. 4. 6. C. quib. non objic. long. temp. præscr.*

IX.

Tandem ut usucapio adimpleatur, tempus legitimum requiritur, ut scilicet res mobilis triennio, immobilis inter præsentis decennio, inter absentes vicennio possideatur.

Inducebatur usucapio olim in re mobili anno, immobili biennio *in pr. Inst. b. t.* Credidère namq; veteres officium boni patrisfamilias requirere, ut immobilium annis, mobilium semestribus singulis ineatur ratio. Verum cum de tam exiguo temporis spatio peraspè & maximè quidem ditiores conquererentur, cum impossibile esset, tantis temporum angustiis omnes facultatum partes commodè circumspicere, Imp. Justinianus, ne posthac ulli conquerendi ansa daretur, neve domini maturius rebus suis defraudarentur, annum in triennium, biennium in longum tempus mutavit, quod ipsum non à momento ad momentum, sed à die in diem computatur *l. 6. ff. h. t.* ita ut qui ultimum attingit diem, usucépisse dicatur, *l. 15. ff. d. divers. & tempor. præscr.* Et completum quidem requiritur tempus, in tantum, ut si uno minus die res possessa sit, restitutio adversus usucipientem sit facienda *l. sed & si 26. §. quoties ff. quibus ex caus. major.* Præsentia vero non civitate sed provincia concluditur. In eadem ergo provinciâ domicilia habentes, præsentis, in diversis absentes dicuntur. *l. fin. C. d. præscr. long. temp.*

X.

Prædicta hæc usucapionis cum formam constituent essentialem, necessario adsint necesse est, & omnia

omnia quidem, nisi vitari debet usucapio. Quod si enim vel alterum horum absit procedere haud potest.

XI.

Res incorporales, ac reliquæ, quas th. 8. recensuimus, licet usucapi non queant, longo tamen tempore præscribi possunt.

Præscriptio namq; illis in rebus, in quibus usucapio cessat, locum sumit l. 2. C. in quib. caus. cess. long. temp. præscr. nec possunt illa simul stare, cum non nisi ex unâ causâ dominium acquiratur l. 159. d. R. I. l. si ancillam 7. C. d. contrah. empt. Præscriptione verò non ipso pleno & firmitate jure dominium acquirimus, ut usucapione, sed ope solummodo exceptionis, qua tueri illud & conservare contra dominum possumus, l. 11. C. d. præscr. long. temp. l. 8. C. de præscr. 30. vel 40. anno.

XII.

Hinc definitur præscriptio adjectiō dominij (a) quod per diuturnam possessionis continuationem jure exceptionis tueri (b) & actione in rem utili (c) repetere possumus.

(a) Dominium non minus præscriptione quam usucapione acquiri dicimus §. ex his itaq; Instit. per quas person. nob. acquir. Auth. nisi triennale C. d. bon. matern. l. 2. C. in quibus caus. cess. long. temp. præscr. (b) Licet directo in præscriptione per possessionis continuationem dominium quærere possessor nequeat, ope tamen exceptionis tutus est, quo minus dominio exuatur l. 8. §. 1. C. d. præscr. 30. vel 40. anno. Nam spatio 30. vel 40. annorum omnibus actionibus præscribitur, sic ut exceptione elidantur, l. 1. l. 4. l. 7. l. ult. C. d. præscr. 30. anno. Dominus ergo adversus longi temporis possessorem actionem intentaturus, exceptione removebitur. (c) l. 10. in princ. ff. si servit. vindic. l. si quis 8. C. d. præscr. 30. anno. Olim longi temporis possessio
B 2
exceptio

exceptionem solum, non etiam actionem pariebat. Sed postea placuit ei, cui hæc acquisita erat exceptio, dari actionem utilem. *Cujac. in par. C. d. præscr. lon. temp.*

XIII.

Et non minus hic, quam in usucapione, possessionis (a) continuæ (b) certum & legitimum tempus (c) in considerationem venit.

(a) *c. fined. R. I. in 6. l. 2. C. d. præscr. longi temp.* quam & hic Civilem volumus *l. 8. C. usus. l. 2. l. 7. §. ult. C. de præscr. 30. anno.*
(b) *l. 1. l. 2. C. de præscr. long. temp. l. 7. C. d. præscr. 30. annor.* Si namq; per usurpationem sit interrupta vel naturaliter *l. 5. ff. h. t.* vel Civiliter *l. 10. C. d. adq. possess. l. 2. C. de præscr. long. temp.* ad effectum perducitur nequit. (c) Quod cum perpetuo aliud atq; aliud sit, certum definiri haud potest.

XIV.

Cum autem unius rei præscriptio hoc, alterius illud tempus requirat, diversam à diversitate temporum præscriptionem, eamq; sextuplicem constituimus, quadriennem, longi temporis, triginta, quadraginta, centum annorum & immemoriam.

cum Wesembec. par. ff. h. t.

XV.

Quadriennij præscriptio vel adversus fiscum (c) vel fisco (b) & principi (c) datur.

(a) Adversus vindicationem bonorum caducorum, quæ soli fisco competit *l. 1. 4. §. ult. C. de bon. vac. l. 7. C. d. jur. fisc. l. 1. §. 2. ff. eod.* non sanè longi temporis, sed quadriennij præscriptione opus est *l. 1. C. d. quadr. præscr.* Tunc enim fisco, si vindicare velit bona, quæ justa possessione aliustenerè coepit, hæc exceptione excludetur,

l. 1. §.

l. i. §. Divus ff. de jur. fise. l. quamvis d. Usucap. l. 6. §. 7. ff. si quis omiff. caus. test. Quod quadriennium à quo die bona vacare cœperunt, computari oportet *d. l. i. §. Divus ff. de jur. fise. (b)* Fiscum rem alienam, vel communem vel pignori datam, si forte quasi caducam alienarit, post quadriennij decursum domino vel hypothecario in rem vel hypothecariâ actione pulsare non licet *l. 2. C. d. quadrienn. prescr.* Emor vero aut qui alio titulo à fisco rem accepit, licet olim in personâ ejus quinquennij præscriptio necessaria erat *§. edito Inst. b. t.* statim ipso jure securus est *l. 3. C. h. t.* (e) quod ipsum etiam jus in ærario principis observatur, sive ei aliquid inferatur, sive quid ab eo proficiscatur *l. 3. C. h. t.* Omnia namq; principis esse intelliguntur, sive ex suâ substantiâ, sive ex fiscali aliquod fuerit alienatum *d. l.*

XVI.

Longi temporis præscriptione, quæ inter præsententes decennio, absentes vicennio absolvitur, quædam res, quæ usucapi nequeunt, adquiruntur.

Prædia namq; etiam superficiaria & emphyteuticaria, si à non domino accepero, ut jus in eis superficiei aut emphyteumatis habere, usu non capio sed longo tempore acquirō *l. 12. §. 2. de Public. in rem act. l. 15. §. 26. & seq. ff. d. damn. inf.* Similiter & servitutes, licet usucapionem lex Scribonia impediât, possessione hæc longâ acquirō *l. si quis diuturno 10. in pr. ff. si serv. vindic. l. ult. in fin. C. d. prescrip. long. temp.* Præsentia hîc, quæ provinciâ, non civitate concluditur, personarum solum, non rerum requiritur; Nihil enim prohibet, sive in eadem res sint constitutæ provinciâ, sive in aliâ, super his controversiam in judicio movere, cum actio sit incorporalis, quæ ubiq; in corpore persequendo, vim suam exercere potest, *l. fin. C. h. t.* Extraneus quoq; possessor hypothecariam rem hac præscriptione sibi acquirit, in tantum ut creditor actionem & jus suum amittat *l. 1. l. 2. C. si advers. cred. prescr. oppon. l. 7. & ult. C. d. oblig. & adion. l. 12. ff. d. divers. & tempor. prescr.*

XVII.

Et huic quôq; præscriptioni bonam fidem (a) & justum titulum (b) adesse oportet. Hinc furtivæ res hac possessione non veniunt (c)

(a) *l. longi temporu 2. l. si fraude 6. C. d. præscr. long tempor. (b) l. 4. l. ult. C. h. t. l. ult. C. d. præscr. 30. vel 40. annor. Servitutes tamen hac præscriptione etiam absq; titulo acquiri possunt l. 10. ff. si serv. vindic. l. 5. §. 3. ff. d. itin. act. privat. l. 1. §. fin. ff. d. aq. & aqu. pluv. arcend. (c) l. 1. C. d. serv. fugit.*

XVIII.

Præscriptioni longi temporis si locus non est, jure præscriptio triginta annorum succedit (a) quæ cum bonam fidem non desideret (b) rei, quam non dominus malâ fide possidet, dominium ei tribuit (c) extraneo possessori rem hypothecariam malâ fide possessam tradit, creditorisq; actionem elidit (d) Ecclesiam in rei privatæ præscriptione securam reddit (e) omnesq; ante non motas actiones ulterius vivendi facultate privat (f)

(a) *Cujac. in par. C. d. præscr. 30. annor. id quod & ipse titulum ordo indicat. (b) l. pen. §. 1. C. h. t. l. ult. C. d. fund. patrimon. Sed hoc de Jure Civili constitutum observatur. Jus Canonicum vero in omni præscriptione bonam adesse vult fidem, nisi vitari debet possessio c. possessor d. R. l. in 6. adeo quidem, ut & in centenariâ & immemorali præscriptione bonam fidem desiderari dicamus c. ult. d. præscr. licet titulus hic abesse possit. c. 1. d. præscr. in 6. (c) l. 1. l. pen. §. 1. C. d. præscr. 30. anno. Multo ergo magis bonæ fidei possessor, qui alienationis titulo à malæ fidei possessore ignorante domino rem alienam accepit, eam sibi tanto possessionis tempore acquirat. Nov. 119. c. 7. (d) l. 3. l. 7. C. h. t. (e) c. 3. d. præscr. (f) l. 3. C. h. t. in tantum ut non fetus fragilitas, non absentia, non militia, sed pupillaris duntaxat ætas,*
quæ

quæ huic functioni exempta est, contra hanc possessionem aliquem defendere possit, *de l. 3.*

XIX.

Quadragenaria præscriptio actiones, quæ quorundam vel fortuita vel excogitata interpretatione perpetuæ esse credebantur, sicut (a) sive de jure publico (b) sive de conditione personarum agatur (c) debitori contra creditorem jus hypothecæ assignat (d) res Ecclesiasticas, (e) agrumq; Principis non soluta canone possessori tribuit, adeo ut nec de agro, nec de canone conveniri possit (f)

(a) Possessoremq; liberum & legis munitione securum reddit. *l. 4. C. d. præscr. 30. annor.* (b) ut in *l. ult. C. d. fund. patrimon. l. ult. C. d. fund. rei privat.* tributorum tamen causa excipitur. Nam licet de dominio possessor removeri haud possit, functiones tamen aut impositas alias collationes publicas dependere compellitur *l. 6. C. h. r.* (c) v. g. si quærat, an cohortalis quis sit? Idem & in servis, metallaris, murilegis, vel cujuscunq; conditionis sint, jus observatur. Omnes enim 40. annorum præscriptione muniuntur *l. 12. C. d. cohorta:* Curiales tamen & ascriptitij ob publicam salutem excipiuntur, *l. 5. C. d. præscr. 30. anno. l. pen. C. d. agric. & censit.* (d) *l. 7. §. i. C. h. r.* (e) *Nov. iii. Nov. 131. c. 6.* Sicut enim hoc temporis spatium tam personales, quam hypothecariæ actiones in perpetuum conquiescere debent, (f) *l. ult. C. d. fund. rei privat. ibi* demto vetustatis auxilio.

XX.

Rerum verò quæ vel locis venerabilibus, vel ad captivorum redemptionem, vel civitati donatæ, venditæ, aut testamento, legatove relictæ sunt, præscriptio non, nisi centum annorum curricula excesserit, subsistit. (a) Hanc hodie Romana Ecclesia sibi vindicat. (b)

(a) Cum

(a) Cum enim DEO & piis usibus dicatarum rerum tantus sit favor, ut nullis temporum cancellis includi posse videantur, ne tamen in infinitum actiones hæ extenderentur, sed ut litium constitueretur finis, longissimum vitæ hominum tempus eligere placuit Imp. Justiniano in l. 23. C. d. S. S. Eccles. (b) Auth. quas actiones C. dist. 1.

XXI.

Immemoriale tempus ea jura, quæ præscribi alias nequeunt, possessori assignat, qualia sunt regalia.

Regalia privilegia esse, summo principi in summæ Majestatis signum concessa, nemo est, qui dubitet. Quæ etsi præscribi nõ possunt, possunt tamen per contraria privilegia iterum tolli. Cum ergo tanti temporis præscriptio vim habeat privilegij à Principe concessi l. 3. §. 4. ff. d. ag. quot. & astiv. regalia præscribi posse, non immerito dicimus c. super quibusdam d. v. s. Ita tamen, ut imperium Majestaticum & obedientia universalis summo principi remaneat c. dudum 2. §. nos igitur de præbend. in 6.

XXII.

Sunt autem præscriptiones omnes bono publico, quæ summa est & esse lex debet, introductæ, ut ne dominia rerum diu & ferè semper in incerto sint (a) litium aliquis constituatur finis (b) nec possessores immortali prope timore teneantur (c)

(a) l. 1. ff. d. Usurpa. & usucap. in pr. instit. eod. (b) l. ult. ff. pro suo l. 13. C. d. judic. (c) l. 7. C. d. præscr. 30. vel 40. annor. Innumeræ enim lites, nisi lex possessionem adjecisset, possessori fuissent metuendæ: Unde perpulchrè à Cicerone Usucapio sollicitudinis, & periculi litium finis dicitur.

XXIII.

Qui finis ut eo facilius obtineri possit, lex possessori dominium addicit (a) justum titulum inducit (b) eumq; exceptione litis finitæ munit (c)

(a) Non

(a) Non directò equidem sed ope exceptionis. Cum enim tanto tempore, quo omnibus actionibus præscribitur *l. 8. l. ult. C. d. præsc. 30. annor.* res suas curare neglexerit, sibi imputet, quod exceptione hac repellatur *l. quod quis d. R. I. (b) c. de quartâ d. præsc. c. 1. eod. in 6.* (c) quæ litis contestationem impedit *c. 1. d. lit. contest. in 6. Wesemb. par. ff. h. t.*

XXIV.

Præscriptiones verò ut continuâ possessione constituuntur, ; sic interruptâ eâ in nihilum rediguntur.

l. 2. C. 5. ff. h. t. l. 1. C. d. præscr. long. temp. Interpellatio namq; prius inchoatam possessionem totaliter perdit, adeo ut ab initio iterum sit exordienda. *Vult. I. R.* Interruptio vero vel naturalis est vel Civilis. Naturaliter interruptitur, cum de possessione vi quisquam dejicitur aut res alicui eripitur *l. 5. ff. h. t. r.* Similiter & si quis rem suam habere nolit *l. 30. S. 4. ff. d. acquir. possess. tot. tit. pro derel.* Nec minus, si quis ab hostibus captus detineatur *l. 23. S. 1. d. acquir. possess.* Civilis fit per citationem & litis contestationem *l. 3. l. 7. l. fin. C. d. præsc. 30. annor. Nov. 119. c. 7.* quia Interpellatione & controversiâ progressâ non intelligitur possessor, cum ex interpositâ contestatione & causâ in iudicium deductâ super jure suo vacillet & dubitet *l. 10. C. d. acquir. possess.* Quod si ergo vel civiliter vel naturaliter interpelletur, præscriptio evanescit *l. 5. ff. h. t. l. fin. C. d. præscr. 30. anno.* Secus est in usucapione, quæ litis contestatione non interruptitur, sed lite omisâ, vel reo absoluto jure completa putatur. *l. 2. ff. pro donat. l. 2. S. ult. ff. pro empt.* Quamvis enim contestatio litis in malâ fide constituat possessorem, *l. 25. S. 7. ff. d. petit. hered. condemnatione secuta l. 1. C. d. petit. hered.* tamen cum non auferat possessionem *l. 10. C. d. acquir. possess.* eandem non interruptit. Præscriptionem verò, cum non sit jus legale usucapionis instar possessori dominium directo adjiciens, sed exceptionem solum, quæ solâ nititur æquitate, elidere potest, cum evanescat exceptionis æquitas, quæ in completo tempore consistit.

Wesemb. in par. ff. h. t.

C

COROL-

COROLLARIA.

I.

Servitute non constitutâ in pariete proprio
etiam invito vicino fenestram aperire licet.

II.

Repressalias, cum infinitis propè incom-
modis scateant, ac fundamentis justitiæ contra-
rientur, illicitas esse putamus.



Friderice præstantissime,
amice, fautor optime,
decusq; matris optime,
Hajonis à Nessa inclyti, &
Magni parentis æmulum
te disputare gratulor,
te non tacere gratulor,
Et te loqui tibi gratulor,
tuæq; matri, & omnibus
Salvere te qui gestiunt,
tibi disputanti qui favent,
hic non tacentem qui fovent,
Et qui loquenti haud invident.

Dum

Dum disputanti gratulor,
te disputare gaudeo;
quod sit futurum gaudium
tu iudicabis blandule
amice, fautor optime,
Decusq; matris optima, &
magni parentis amula
proles, labori dedita
si praesidentem videro,
tibi si docenti attendero,
gnavis, peritis, pauperi,
opum, gregumq; diviti
Si consulentem audi vero; &
te consulentes videro
gnavos, peritos, pauperes,
opum, gregumq; divites.

Præstantissimo, & literatissimo viro
juveni, Dn. Friderico à Nessa de Usucapione
disputanti, amico vero, & sincero
L. Mqj F.

M. EWALDUS Xibe/Rosto-
chicnsis Scholæ Rector.

FINIS.

*Dum disputanti
te disputare gaudeo,
quod sit futurum gau
tu judicabis blandule
amice, fautor optime.
Decusq; matris opti
magni parentis amu
proles, labori dedita
si praesidentem videre
tibi si docenti attende
gnavis, peritis, paup
opum, gregumq; divit
Si consulentem audire
te consulentes videro
gnavos, peritos, paup
opum, gregumq; divit*

*Præstantissimo
juveni, Dn. Fri
disputanti,*

*M. EWAL
chicnsis*

F I N I

*ssimo viro
e Ufucapione
syncero*

*e/Rosto
ror.*




Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No.